



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis  
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros  
partitum**

**Laymann, Paul**

**Moguntiae**

3. De fide thori seruanda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40716**

frater V. C. sororem moribus leuem etiamsi suæ curæ specialiter non commissa sit, coercere & castigare ad cauenda damna sorori impendentia, si non castigetur.

NB. Vxor plebea tenetur coquere, lauare, non verò nobilis, eiusmodi enim labores seruales dedecent statum eius. Alias obseruandum, quod quicquid mulier V. C. nendo lucratur, sibi acquirit; maritus enim tenetur eam alere ex dote, quod si indotata nupserit, aut ex materia à marito subministrata aliquid conficit, tunc opus ad maritum spectabit.

## C A P. III.

*De fide thori seruanda.*

**H**Æc est tertia obligatio ad bonum fidei coniugalis pertinens, vt coniux ad aliam personam copulandi causa non accedat, quamdiu coniux eius viuit. Vnde ad alias nuptias transire non licet, priusquam certum nuncium, aliamue moralem certitudinem non minus nuncij aut testis solùm acceperit de morte mariti: Ratio est, quia quamdiu non habetur moralis certitudo, sed dubium aliquod manet de coniugis morte periculū est, ne secundum matrimonium inualidè contrahatur, & fornicatio consummetur. Ergò tutior interim pars tenenda & à nuptijs abstinendum est.

**2** Propter probabilem non certam credēdi causam, quod coniux mortuus sit, non est alteri coniungi, saltem in externo foro permittendū vt maximo;

trimonium aliud contrahat, quia hæc est praxis  
 consistoriorum, & factorum canonum constitu-  
 tionibus conforme; Ratio verò est, quia Iudex  
 præsertim Ecclesiasticus bonum publicum Eccle-  
 siæ & reuerentiam sacramentorum præferre de-  
 bet priuato commodo: si autem in tali casu licen-  
 tia secundi matrimonij derogetur, solùm timeri  
 potest periculum incontinentiæ, quod tamen mu-  
 lier cum Dei gratia vitare potest. Si autem licen-  
 tia concedatur & publica Ecclesiæ approbatio,  
 maius imminet periculum publici scandali & ir-  
 reuerentiæ, si forte prior manibus adhuc vi-  
 uat.

Quod si tamen mulier ex valdè probabili per-  
 suasione ac præsumptione & iustissima credendi  
 causa, quod maritus mortuus sit, adeoq; bona fi-  
 de si nemo se illi opponeret, ad secundas nuptias  
 transfret, nihil in tali casu peccaret. Quamobrem  
 confessarius in cōscientiæ foro id ipsi permittere,  
 & iudex in externo, si post celebratas nuptias cau-  
 sam intelligeret, neque mulierem punire, neque à  
 secundo marito separare deberet, donec cogni-  
 tum esset, priorem maritum adhuc viuere: Ratio  
 est, quia in moralibus, in quibus plerunque certi-  
 tudo omnino haberi non potest, homini ad insti-  
 tuendas actiones suas, sufficere debet probabilis-  
 sima, licet nō omnino certa opinio seu præsumtio.

## C A P. IV.

*De bono prolis.*

**P**rolis generatio est præcipuus finis actus con-  
 iugalis, quem proinde coniuges implicite sal-